446

F

229

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

501B 4
446/229

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE APPELLATIONIBUS,

QUAM
ANNUENTE DEO
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

DN. GERH: LAMMERS,
Med. & Phyſ. Doct. in Illuſtri Illuſtr. ac Præp.
Groning. & Omland. Ord. Univerſitate
Profeſſ. Ord.

UT ET
Ampliſſimi Senatus Academici unanimi conſenſu,
Nobiliſſimæque Facultatis JURIDICÆ decreto
Pro gradu Doctoratus
Summisque in utroque jure honoribus & privilegiis
rite ac legitime conſequendis,
Publico examini ſubjicit

J. H. KEISER.

Ad diem 5. Martij, loco horisque ſolitis

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage

GRONINGÆ,
Typis CORNELII BARLINCK-HOF, Civitatis Groningæ
Ordinarii Typographi; Anno 1691.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

Viro Nobiliſſimo ac
Spectatiſſimo

HERMANNO á GESSELER,
Totius Comitatus Benthemenſis
Quæſtori fideliſſimo; Prætori urbis Nyenhuys Meritiſſimo, judici pagi Velthuyſen vigilantiſſimo;

Cognato ſuo plurimum venerando, colendo

Diſſertationem hanc inauguralem in devinctiſſimi animi ſymbolum

Sacram facit

Auctor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

Procœmium.

F*Acultas leges interpretandi in Rep. Romanâ originem traxit ex latione leg:* 12. *tabb: quæ breviter ac conciſe ſcriptæ, interpretationem quandam deſiderarunt. Eam ab initio Pontifices fere ſibi vendicarunt, poſtmodo vero, cum illorum arcana per Gn: Flavium ſcribam propalata eſſent, & viri* Principales *operam ſuam bello locaſſent, omnibus, qui ſtudiorum ſuorum fiduciam habuerunt, patuit, & vel à transverſo foro obambulantibus, vel domi in ſolio conſidentibus, exercita eſt; quod* Cicero libr. 3. de Oratore *tradit, &* Hotom: in JCto p. 1094. *pluribus explicat. Primus Tib. Coruncanus facultatem hanc publice profeſſus eſt* l. 2. §. 34. §. 38. de Or. jur. *quem deinceps alii præſtantes ingenio, eruditione & multarum rerum uſu homines ſecuti, ad id faſtigii & auctoritatis Jurisprudentiam evexerunt, ut non privatâ amplius, ſed publicâ Cæſarum auctoritate tandem de jure reſponderi cœptum ſit; Quod Auguſtus, ut major juris auctoritas haberetur, primus ita conſtituit, ex quo tempore peti hoc pro beneficio cœpit,* d. l. 2. §. ult. *Unde ſine dubio Doctorum deinceps creandorum mos derivatus eſt, cum enim imperij ſtatu mutato nimis incommodum princibus æque ac petentibus videretur, quibusdam collegiis doctorum virorum hæc cura eſt demandata,* Coraſ. in d. l. 2. § 47. verb. & ut obiter Pacis Scala de conſil. Sapient. cap. 2. *Cui mori ut ſatisfacerem, habito juris examine, petij ab Ampliſſ. ac Celeberr. hoc Senatu Academico, quo mihi publ.ce*

publice illa de jure reſpondendi poteſtas præſtaretur; *diſſertatione hac pro libello ſupplici oblatâ, continente appellationum materiam, meo quidem judicio, non inutilem: Operæ igitur pretium foret, penitius in iſtud argumenti inquirere, ſi mediocribus ingeniis liceret eſſe tam diſertis; Attamen in hac dicendorum copiâ, pictores mihi imitandos propoſui, qui, cum in exiguâ tabella plures ſunt depingendi, quorundam tantum manus, quorundam faciem &c: adumbrant, ac penicillo exprimunt; Sic & ego cum omnia nec poſſim, nec velim dicere, multa ſicco (quod ajunt) pede tranſiliam: Cum igitur accingar, mandatæ mihi provinciæ pro meis facultatibus ornandæ, contendo à vobis,* Lect: humaniſſ: *benevoli ut ſitis. Alios enim videor audire, querentes, cur iſta præteriit, quæ erant dicenda; alios, cur iſta perſequitur, quæ ſileri nullum fuiſſet damnum; alios, cur in iſtis tam copioſe, & abundanter, in his tam ſicce & jejune verſatur: Sicut enim non uno voto, ſic non una vivitur ſententia; Verum, cum mihi detrectare, quod impoſitum eſt onus, non liceat, alea jacienda eſt, quomodocunque cadat; dummodo* DII *ſint nobis propitÿ, cœptisque adſpirent noſtris, quod ſubmiſſe rogamus: Unum hoc, te ignorare,* benev: lect: *nolui, me hic tantum Theoreticam ac Academicam proponere diſſertationem, unde non eſt, quod Practica à me hic exſpectes, neque ut multas Doctorum Autorumve ſententias proferam, eisque ea, quæ dico, confirmem; licet ex illis omnia me hauſiſſe, ac ſolam methodum addidiſſe, non diſſimulem, quam, utpote faciliorem, ipſa inſpectio indigitabit.*

CAPUT

CAPUT PRIMUM
DE
Definitione appellationis ejuſque origine.

§. 1.

REm ipſam aggredior, initium facturus à variis hujus vocis ſignificatus; ita enim cum rerum naturâ comparatum eſt, ut plura ſint negotia, quam vocabula *l.* 4. *ff. de* præſc. verb. Appellare itaque primo eſt debitorem judicio convenire, vel citra judicium interpellare *l.* 16. §. *fin.* de fidei: *l.* 29. de jud. *l.* 15. §. 33. *de* injur. Eodem ſenſu *Seneca libr* 5. *de benef.* dicit, fœnerator quoſdam debitores non appellat quos ſcit decoxiſſe; *Valer. Max. libr.* 6. *c.* 2. pecuniam ſpoſpondi quo nomine nunc appellor. Videatur *Stephanus Forcatulus dial.* 58. *n.* 5. & 6.

§. 2. Secundo Appellare ſignificat, blando ſermone alicujus pudicitiam attentare; *l.* 15. § 20. & 22. *de* injur. *Valer. Max. lib.* 6. *c.* 1. late *Briſſon. de verb. ſignif. in verbo appellare.*

§. 3. Tertio Sumitur paſſim pro implorare; ſic *Livius lib.* 2. habet, appellat tribunos cum auxilio nemo eſſet, *libr.* 6. *c.* 3. collegiumque tribunorum appellavit. & *c.* 2. *d. l.* 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

§. 4. Quarto. Appellatio accipitur pro provocatione à judice minori ad ſuperiorem; *t. h. t. ff. & C.* hæcque ſignificatio eſt hujus loci; ac ita rurſus conſideratur, vel ut eſt exercenda, vel jam actu exercetur: Illo caſu definiri poteſt appellatio, jus impugnandi, ob prætenſum gravamen, ſententiam à judice inferiori latam, & committendi cauſam ſuperiori; *l.* 1. *pr.* §. 1. h. t. *l.* 32. C. eod. Hoc caſu eſt actus, quo inferioris judicis ſententia iniquitatis arguitur, ac ſuperioris deciſioni cauſa legitime committitur *d. l.* 1 *& d. l.* 32.

§. 5. Capita hujus definitionis commodius in ſequentibus occaſione datá excutientur, ſaltem hic notari meretur, appellationis genus recte ſtatui actum, quod ſatis generale, ac omnem modum, quo auxilium ſuperioris judicis imploratur, ſignificare poteſt, *arg. l.* 19 *de* verb. ſign. Minus verò recte ab aliis dici provocationem, quià eo verbo JCti, aliique auctores plerumque utuntur pro appellatione, unumque pro altero ponunt *l.* 20. *de* quæſt. *l.* 11. § 3. ad L. Falcid. *l.* 13. *pr.* de exc. tut. *l.* 140. §. 1. de pact. *Livius lib.* 3. *fol. mihi* 253. provocationemque ad populum; & *fol.* 238. attamen tribunos appellavit &c. provoco inquit, ut & *lib.* 8. tribunos plebis appello, & provoco ad populum: Genus vero in definitione latius eſſe debet ſuo definito juxta reg. Log.

§. 6. Progrediamur ad alterum hujus capitis membrum: Neminem certe fugere poteſt; appellationem origine gloriari vetuſtiſſimâ, ac inde natam, quod quisque, qui ſe injuria affectum putat, ad potentiorem, ac ſuperiorem confugere ſoleat, huc forte referri poteſt, quod *Exod.* 18. Moyſes ex conſilio Soceri ſui conſtituit judices, qui deciderent cauſas ac controverſias leviores, majores ad ſe referrent, ubi nemo dubitat, quin permiſſum fuerit populo, ſi ſe injuriâ judicibus illis affectum putaret, Moyſen interpellare: Cui accedit remedium hocce eſſe ſaluberrimum, æquitatique maxime conſentaneum, cum eo judicantium iniquitas vel imperitia corrigatur *l.* 1. h. t. ac ita oppreſſi auxilio ſuperiorum ſubleventur *l.* 29. C. h. t. quare nec de jure divino incognitum; *Act. c.* 25. ✝. 11. 21. ubi Apoſtolus Paulus

pro-

provocavit ad Cæſarem, quo remedio uſus non fuiſſet, ſi repugnaret legi divinæ, ac æquitate ſuâ non commendaretur.

§. 7. Unde DD. vulgo illud ſolent referre inter ſpecies defenſionis, adeoque juri naturæ adſcribere, *arg. l.* 3. *de* Juſt & jur. verum iſti nimis abutuntur verbo defenſionis & juris naturalis, uti probat *Bach ad Treutl. h t. in pr.* quo brevitatis cauſa fit relatio, quare etiam lege vel ſtatuto tolli poſſe, non dubito ob utilitatem humanæ ſocietatis ac favorem minuendarum litium, *arg. l.* 1. § *fin. â* quib app. non lic. Incredibile enim dictu eſt, quæ tela abuſuum ex hoc magno litium ſtamine, in maximam ſingulorum captionem enaſcantur: Habet quoque ſuperior poteſtatem arbitraria pro lubitu corrigendi, mutandi, immo jus naturale limitandi: & ſi pactis conventis id fieri poſſit, ne appelletur *l. fin.* §. *fin.* C. de temp. app. *infr. c.* 2 *th.* 12. quare legis autoritate hoc non permitteretur? uti in alio caſu ait Juſtin *l fin.* C. de fidejuſſ. Dicta tamen ita accipienda, ut non negetur omnis facultas conquerendi apud ſuperiorem de manifeſtis injuriis magiſtratuum inferiorum, ne defenſio juſta denegetur, ac præbeatur occaſio delinquendi, ſubditosque injuriâ afficiendi; ſi enim ad nullum præſidium, tanquam Aſylum aliquod, gravatis confugere liberum eſſet, oporteret eos, ſæpe corporis ac fortunarum periculum ſubire, cum tamen juxta naturam cuique ſuum tribui debeat, uti vult tertium juris præceptum *in* §. 3. *Inſt.* de juſt. & jur.

CAPUT SECUNDUM.

De iis, qui appellare poſſint, & qui prohibeantur,

§. I.

Hic pro regulâ tenendum, appellare poſſe omnes, qui non jure ſe gravatos prætendunt, exp. text. *l.* 25. h. t. *l.* 30. C. eod *l.* 4 *l.* 5. de app. recip. adde *Livium lib.* 1. *decad.* 1. *fol.* 687. quod enim æquitati convenit,

A 2 *ſupr.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

ſupr. th. 6. eſtque ſpecies quædam defenſionis juſtæ, quæ datur oppreſſis contra injuriam judicis *l.* 1. h. t. nemini ſine cauſâ denegari debet *l.* 18. §. 9. de quæſt. ne tamen per calumniam litigantes hoc remedio abutantur, ut executionem protrahant, in temere provocantes ſecundum caſus diverſos pœnæ diverſæ ſunt conſtitutæ in *l.* 19. C. h. t. *l.* 5 C. quor. app. non rec. *l.* 6. §. pen. C. *h. t.*

§. 2. Cui regulæ ad majorem explicationem tres ampliationes ſubjiciendæ; non enim refert primo, ſive unus, ſive plures condemnati ac gravati ſint; *tot. tit.* ſi un. ex pl. app. ubi tamen, ſi plures condemnati ſint ſeperatim, quamvis ex eadem cauſa, pluribus appellationibus opus eſt *l.* 10. *pr. h. t.* ſi vero unâ ſententiâ condemnantur plures litium conſortes, appellatio unius etiam proderit aliis, modo una eademque fuerit omnium defenſio & ſententia ab aliis non fuerit jam agnita *l.* 10. §. *ult.* h. t. junct. *l.* 1. *l.* 2. C. ſi un. ex pl. app. facit *l.* 1. C. de div. reſcrip. *l.* 4. §. 3. ſi ſerv. vindic. atque hoc etiam obtinere dicunt interpretes, licet appellans diſertis verbis dicat, ſe ſolum pro eo, quod ſuâ intereſt, appellare, cum alteri per alterum iniqua conditio inferri non debeat, nec, quod legibus tributum, adimi: *vid. H. Piſtor.* 1: *q.* 47. *n.* 11.

§. 3. Secundo idem eſt, ſive ipſe condemnatus appellet ſive is cujus intereſt *l.* 1: de app. rec. *l.* 4. §. 2. h. t. *l.* 2. §. 1. quan. app. intelligitur enim propriam cauſam defendere *l.* 2. §. *fin.* quand. app. & ejus victoria prodeſt etiam principali antea victo, ſi una eademque fuerit cauſa eademque defenſio, juxta *l.* 1. *l.* 2. ſi un. ex pl. app. *th.* 2. Exempla eorum, quorum intereſt, extant in *d. l.* 4. §. 2. *l.* 5. §. 14. h. t. & eleganter in *l.* 6. eod. ubi quivis appellare poteſt pro eo, qui ducitur ad ſupplicium, quaſi omnibus interſit innocentes defendi; & hominem hominis beneficio affici *l.* 7. de ſerv. export.

§. 4. Solent hic interpretes docere, â tertio appellationem tribus modis interponi: Si alterius appellationi adhærere velit, quo caſu neceſſe dicunt, ut intra decendium ratam habeat appelltionem interpoſitam; Si ab alio interpoſitam appellationem pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

proſequi velit & tunc admittitur, etiamſi ipſe non appellaverit, arg. *l.* 5. §. 2. h. t. quoniam ſententia per appellationem unius ſuſpenſa ac pene extincta *l.* 1: *in fin.* ad SCtum Turp. quodad omnes gravatos perinde haberi videtur, ac ſi judicatum non fuiſſet, *arg. l.* 12. de reb. aut. jud. poſſ. *l.* 10. §. *fin.* de bon. poſſ. cont. tab. Si ipſe pro ſuo intereſſe principaliter appellet à ſententiâ contra alium latâ *l.* 1. de app. rec. & ll. th. 4. citat.

§. 5. Tertio Nec intereſt ſive quis ſuo nomine, ſive alieno appellationem interponat *l.* 24. *l.* 27. *l.* 17. §. *fin.* h. t. *l.* 1. §. 13. quan. app. Ita provocant tutores ac curatores nomine minorum ac pupillorum d. *l.* 24. & *l.* 27. h. t. qui non ſolum obſtricti ſunt, appellationem interponere *l.* 11. C. de adm. tut. verum etiam, eam proſequi tenentur, uſque dum rationes redditæ fuerint *l.* 27. h. t. *l.* 2. ſi tut. vel cur. mag. cre. app. adde *l.* 1. §. *ult.* ſi pend. app. mors int. alias actione tutelæ tutor omne damnum ſarcire tenetur, ſi quod acciderit ob non interpoſitam vel deſertam appellationem arg. *d. ll.* & arg. *l.* 1. *pr.* de tut. & rat. diſtr. *l.* 7. C. *arb.* tut. *l.* 23. de R. J. quibus præſtat mediam culpam; hinc ſi tutori nihil imputari poſſit, ut ſi probet, (alias enim pro ſententia prius latâ eſſet præſumptio.) ſe conſultum â peritioribus ab interponendâ appellatione revocatum fuiſſe, non tenebitur, ſupervacaneam enim litem inſtituere non debet, ſed bonam fidem agnoſcere *l.* 9. §. 6. de adm. tut. *l.* 11. C. eod. arg. *l.* 27. ff. dict. t. DD. vulgo in *l.* 6. C. eod. ſi tamen minor ideo læſus ſit, ſubvenietur illi per reſtitutionem in integrum ad appellandum, quæ interventione tutoris ac curatoris auctoritate non excluditur *l.* 16 §. *ult.* de minor 25. ann. *l. ult.* de in int. reſt *l.* 4. *& tot. t.* C. ſi adv. rem jud. *l.* 2. *& t. tit.* C. ſi tut. vel cur. int. quia ſufficit, minorem ideo, quod ob ætatis lubricum ſibi ipſi recte proſpicere nequeat, læſum eſſe *l.* 1. *pr.* de min. 25. ann. læſionem tamen minor probabit ſaltim leviter arg. *l.* 5. C. h. t. *l.* 9. §. 4. de jurei *l.* 7. §. 3. *l.* 11. §. 3. *l.* 24. §. 1. de minor. non enim omiſſio appellationis in manifeſtum minoris incommodum cedit, maxime, cúm pro priori ſententiâ ſit præſumptio.

§. 6. De-

§. 6. Deinde provocant alieno nomine procuratores *l.* 4. §. *fin.* h. t. *l.* 9. C. eod. *l.* 17 C. de proc. l. 18. ſt. h. t. qui itidem, habentes mandatum generale vel indefinitum, tam appellationem interponere tenentur per text. *d. l.* 17. C de proc. verb. *ultra* quod neceſſario infert poſt ſententiam aliquid adhuc incumbere agendum procuratori; idque confirmat verbum ſequens *extendere*, eſt enim appellatio de annexis & appendicibus primæ inſtantiæ; adde *l* 31. §. 2. *in fin.* de neg. geſt. quam proſequi arg. *d. l.* 17 junct d. *l* 32. §. 2. quæ enim à jure neceſſitas appellandi imponitur, ad nudum illum appellandi actum reſtringenda non videtur, cum & hoc ipſum mandatum cenſeatur, ut cauſa ad extremum finem perducatur, maxime, cum dominium litis, quod per litis conteſtationem in procuratorem tranſlatum, exſpiraſſe non cenſeatur; facit *l.* 2. an per, al. cauſ. app. arg. *l.* 8. §. 8. mand. quæ omnino de proſecutione appellationis accipienda, quia ad nudam appellationis interpoſitionem ſumptibus, de quibus ibi, vel nullis, vel plane exiguis opus eſt: Idemque obtinet, licet dominus aliunde reſciverit, procuratorem ſuccubuiſſe, quoniam juſta ratione ductus exiſtimare poteſt, procuratorem ſuo officio functum, ad quod jure tenetur, uti dictum; In hanc rem adduci poterunt tradita de emptore, qui litem contra ſe motam autori ſuo etiam ſcienti denuntiare tenetur *l.* 35. § *fin. l* 56. §. 4. de Evict. Quæ niſi fecerint procuratores, eo nomine actione mandati dominis tenentur *l.* 8 § 8. mandat. arg *l.* 10. C de proc. nec excuſantur, dicendo, juſtam rationem litigandi non fuiſſe, uti dictum in perſonâ tutoris *th.* 6. à quo argumentum duci nequit ad procuratores, quoniam ille jus habet cognoſcendi aut æſtimandi, an cauſa bona ſit nec ne; *arg. l.* 27. *de* adm. tut. quod jus non habent procuratores, qui omnia, quæ pertinent ad cauſam agendam, vel defendendam, exequi debent; & alias, cum pro ſententiâ ſit præſumptio, rarius appellare tenerentur procuratores: Accedit, dominis per appellationem nullum inferri præjudicium, cum illam libere deſerere poſſint, ſed maximum per ejus omiſſionem, cum reſtitui nequeant.

§ 7 Il-

§. 7. Illud quidem liquidum eſt, ſiquidem domino per dictam actionem mandati ſarciri damnum poſſit, non eſſe recurrendum ad remedium extraordinarium; Sed quid ſi domino damnum per actionem mandati ob procuratoris inopiam ſarciri nequeat, an hoc ſaltem caſu illi ſubvenietur reſtitutione in integrum ad appellandum? Ita placet communi interpretum ſcholæ ob æquitatem apparentem, cum conditio domini, parati juſtitiam cauſæ oſtendere, melior eſſe debeat, quam partis adverſæ, quæ ex negligentiâ procuratoris lucrum ſenſit; jura enim magis favent damnum paſſo, quam adventitio lucro arg. *l.* 41. §. 1. de R. J. adde rationem *l. fin.* §. 1. de eo, per quem fact. arg. *l.* 23. de minor. Verum in puncto juris contrarium fortaſſis verius; cum enim procurator, litem conteſtando, in ſe judicium tranſtulit, quod ad decurſum judicii ac proceſſus perſona domini amplius non conſideratur, ſed omnia perinde tractantur, ac ſi negotium ad ipſum procuratorem pertineret; hinc damnum domini hic non ſpectatur, ſed tantum, quod procurator dominus litis ſit; nec decipi debet adverſarius, qui ſequutus mandatum domini, cum procuratore contraxit, ſibique jus per rem judicatam quæſivit. Multo minus hoc prætextu judicium eludi aut convelli: Facit huc *l.* 10. C. h. t. ubi indiſtincte negatur reſtitutionem dari adverſus rem judicatam, ut & *l.* 13. §. *ult.* C. d. judic. ubi, quod ſpecialiter minoribus ex cauſâ negligentiæ curatorum in ſubſidium reſtitutio detur, aliud obtinere in majoribus à contrario ſenſu concludi poteſt; Similiter *in l.* 1. §. *fin.* quand. app. dicitur, difficile eſſe, ut dominus audiatur, ſi procurator non provocaverit; ſolent enim JCti ſententiam ſuam, ſi quid difficultatis ſubeſſet, honeſtis verbis exprimere, uti animadvertit *Duar. lib.* 2. *diſput. c.* 11. Similis modus loquendi eſt in *l.* 1. *pr.* de pign. *l.* 22. §. 7. rem rat. hab. Accedit, domino forte aliquid imputari poſſe, quod tam negligentem ac inopem elegerit procuratorem *l.* 23. *in fin.* de minor. nec hic adverſarii factum intervenire, quare reſtitutio locum habere poſſet, arg *l.* 3. de reſt. in inſt. Si ergo adverſarius & procurator colluſerint, ſubvenietur domino dicto caſu ob dolum

inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

intervenientem actione doli *l.* 8. §. 1. mandat. *l.* 7. §. 9. de
dol mal.
§ 8. Tandem appellant alieno nomine negotiorum geſtores,
qui, non quidem agere, ſed ſub cautione de judicato ſolvendo,
actionem excipere, eoque condemnati appellare poſſunt, ut etiam
nullâ opus ſit ratihabitione domini *l.* 24. *pr.* h. t. *l.* 31. §. 2.
de neg. geſt. quæ *th.* 7. *h. c.* de appellatione interponendâ, ac
proſequendâ diximus, hic in terminis habilibus repetenda, ne
actum agamus.
§ 9. Cum vero omnes pene juris regulas ita accipere de-
beamus, ut non perpetuo, ſed plerumque obtineant arg. *l.* 202.
de R. J. in ſeqq. videbimus de exceptionibus regulæ *th* 1. tradi-
tæ, & ita devolvemus ad ſecundum membrum hujus cap: Ita-
que appellatio non conceditur contumaci *l.* 23 §. *f* h. t *l.* 73 §.
ult. de judic. *l.* 13. § 4. C. eod. *l* 1. C. quor app. non rec. quia
in eo arguitur dolus *l.* 199. de R. J. qui non debet manere im-
punitus, & indignus eſt auxilio legum, qui, dum eas implorat,
contra illas committit *l.* 37. *in fin.* de minor. Contumax vero an
quis ſit, ſæpe in facto conſiſtit, & de eo, judex ſuperior, ad
quem appellatum eſt, objectâ exceptione contumaciæ cogno-
ſcere debet, uti veriſſime annotavit Gothofr. *ad. d. l.* 13. § 4.
C. de judic. explicationis tamen gratiá hic definiri poteſt contu-
max, qui legitime, tribus edictis, vel uno peremptorio *l* 9 C. qu.
& quand. jud. ſent. vocatus, præſentiam ſui facere in judicio con-
temnit *l.* 5. *pr.* de pæn. *l.* 53. *pr.* de re judic. *d. l.* 23 §. *ult.* h. t.
Hinc qui in actu aliquo judiciali præcepto alicui judicis non pa-
ruit, habendus non eſt pro contumace, qui caſus eſt *l. ult.* §. 1.
h. t. ideoque appellare poteſt, uti & ille, qui juſtam ignorantiæ
vel abſentiæ cauſam probare poſſit; quo pertinet *l.* 7. de reſt. in
int. *l.* 10 *l.* 3. *l.* 4. *l.* 5. C. quom. & quan jud. ſent. *l.* 53. §.
2. de R judic. *l.* 38. *in fin.* ex quib. cauſ. maj *l.* 13. §. 7. de
exc. tut.
§. 10. Deinde arcetur confeſſus & convictus *l.* 2. C. quor. app.
non rec. *l.* 18. C. de poen. immo confeſſus tantum arg. à. con-
trario

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

trario ſenſu ſumpto, ex *d. l.* 2. *in fin.* adde *l.* 13. C. de non num. pec. opus enim non eſt, confeſſum amplius convincere, vel contra eum teſtes aut probationes in ſecundâ inſtantia producere, quia habetur pro judicato *l.* 1. de conf. *l.* 1. C. eod. facit, quod appellatio ſit introducta ad emendandam ſententiæ prioris iniquitatem, de quâ confeſſus conqueri nequit, cum ſuâ ſe ſententiâ quodammodo condemnet *l.* 1. de conf. ſi tamen ſponte confeſſus in criminalibus poſſit probare errorem in confeſſione admiſſum, putem, eum ad provocationem admittendum, quoniam hic de capite hominis agitur; Reique nonnunquam aut metu aut quâ aliâ de cauſâ in ſe confitentur *l.* 1. § 17. *&* 27. de quæſtion. immo & in civilibus errorem facti prætendi poſſe, autumem, quoniam ita errans pro confitente non habetur *l.* 2. de conf.

§. 11. Denique arcetur renuntians huic beneficio *l.* 1. §. 3. à quib. app. non lic. *l. fin.* §. *fin.* C. de temp. app. ſive in judicio profeſſus fuerit, ſe non provocaturum, *d. l. i.* §. 3. ſive pactus ſit eâ de re cum adverſario *d. l. fin.* §. *fin.* quod pactum, utpote legitimum, ſtringit paciſcentem ad obſervantiam, arg. *l.* 29. C. de pact. nec mirum, cum indignus ſit legum auxilio, qui ſuo facto omiſerit, vel ſpreverit illud, quo ei ſuccurſum eſſe poterat. Ejuſdem efficaciæ eſſe cenſetur, ſi quis promiſerit, ſe ſtaturum ſententiæ judicis arg. *d. l. i.* §. 3. adde *l.* 5. C. de re judic. quia hiſce verbis ſatis expreſſiſſe voluntatem ſuam videtur, cui utique & conventioni ſuæ controvenit per appellationem, quandoquidem per eam ſententia directo impugnatur, ejuſque effectus ſuſpenditur ac pene extinguitur *l.* 1. §. *fin.* ad SCtum Turp. Sunt etiam verba juxta conditionem humanarum actionum cum effectu accipienda, qui nullus hic futurus eſſet, ſi nihilominus appellatio permitteretur; dicta tamen ita limitari ſolent, ut obtineant tantum in cauſis civilibus, non criminalibus illis, ex quibus pœna mors eſt, aut corporis aliqua coërcitio, quoniam nemo eſt dominus membrorum ſuorum *l.* 13. ad L. Aquil. utilitas quoque publica vult, civem conſervari, arg. *l.* 6. h. t. *l.* 7. de ſerv. exp. cui renuntiari nequit, arg. *d. l.* 29. C. de pact *l.* 7. §. 14. D. eod.

 CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

CAPUT TERTIUM.
à qua cauſa appellatio interponi poſſit, & à qua jure prohibeatur:

§. 1.

Oſtendimus, quorum appellatio recipienda ſit, vel non, conſequens eſt, ut videamus, à quâ cauſâ interponi poſſit; Pro exactiore hujus cognitione hæc regula tenenda; admitti appellationem â ſententia definitiva *l.* 16. C. de jud. *l.* 36. *l.* 21. C. h. t. *l.* 7. C. quor. app. regulariter in omnibus cauſis, civilibus *l.* 20. C. h. t. *l.* 14. C. eod. & criminalibus, *l.* 12. *l.* 14. *l.* 29. *l.* 30. C. h. t. adde rationem §. 1. *c.* 2. etiam minoribus, *l* 20. C. h. t. *N.* 23. *c.* 1. juſtitiæ enim ratio non ex quantitate, ſed ex ſuis regulis æſtimari debet, difficile quoque eſt, recedere à regula ſine textu, cum præſertim cauſarum minimarum certa determinatio jure noſtro non detur.

§. 2. Dixi *à definitivâ*; nam ab interlocutoria de jure civili, (ſecus Canonico, quo à quovis gravamine appellatur *cap. ſuper eo* 12. *extr. h. t. cap.* 5. *cum ſit*, h. t.) non eſt licita provocatio, *l.* 1. *l.* 2. h. t. *d. l.* 16. C. de jud. videtur enim temeraria, & utique non neceſſaria, cum gravamen, ſi quod per ejusmodi ſententiam illatum eſſet, poſtea per definitivam tolli poſſit; Ex quo naſcitur generalis hæc limitatio, ſub quam aliæ referri poſſunt, quod ab interlocutoriâ continente gravamen non reparabile (ut ita loquar) recte appelletur *l.* 2. de app. rec. *l.* 39. de minor. ubi appellatur à ſententia dicta ſuper ætate, cum peteretur reſtitutio, adde *l.* 36. C. h. t. hujusmodi etiam recte videtur ſtatui ſententia, quâ judex ſe competentem pronuntiat, quoniam aufert privilegium fori.

§ 3. Dixi *regulariter in omnibus cauſis*: Excipitur *primo* ſententia lata in poſſeſſorio, ſeu interdictis *l. un.* C. ſi de mom. poſſ. fuer. app. Ubi ſententia dicitur ſortiri effectum, quod nihil aliud eſt,

eſt, quam tranſire in rem judicatam, ita, ut amplius de ejus juſtitia vel injuſtitiâ cognoſci non poſſit; Et itidem victo reſervatur d. l. un. ſolum quæſtio proprietatis, non vero remedium appellationis; Patet quoque hæc ſententia ex *l* 6. C. quor. app. non rec. nec urgentibus deſtituitur rationibus, neminem ſiquidem latet, poſſeſſionis cauſam celeriter, ac ſine ulla cunctatione, quaſi in momento, expediendam, ne litigatores ad manus veniant, ac enſem pro libello offerant; *l. ult.* de app. rec. *l. un.* C. ſi de mom. poſſ. arg. *l.* 8. C. und. vi. *l.* 3. C. de Interd. *l.* 13. C. de R. V. & ejusmodi ſententiam non afferre victo plenum præjudicium, quia plenior cognitio de proprietate in judicium petitorium differtur, *d. l. unic.* quod jure noſtro ita ſequitur poſſeſſorium, ut finis unius ſit principium alterius, & utrumque coram eodem judice ſit tractandum *l.* 10. C. de jud. *l.* 13. C. de R. V. Hujus juris alii hanc rationem allegant, quod ſententia in poſſeſſorio lata ſit interlocutoria, à quâ non appellatur. §. 2: ſed perperam, ſententia enim poſſeſſorii, omnis eſt definitiva, quia non fertur inter principium & finem cauſæ, quæ materia interlocutoriæ, ſed in fine inſtituti poſſeſſorii; nec ſuper incidenti vel emergenti, ſed ſuper ipſâ poſſeſſione principaliter & per ſe in judicium deductâ, quam etiam definit, & licet poſt ſe aliam ſententiam expectet, cauſaque petitorii relinquatur integra, hoc tamen fit, non, niſi in alio judicio demum inſtituendo, cum vera interlocutoria relinquat ſententiam aliam definitivam in eadem inſtantia, & judicio jam inſtituto.

§ 4. Specialiter hic notari meretur, quia de eo inter DD. altercatio, nec à ſententia, quâ ſcriptus heres ex *l. ult.* C. de ed. D. Hadr. toll. in bonorum poſſeſſionem mittitur, provocari expr. text. *in l. ult.* de app. rec. *l.* 6. C. quor. app. non rec. quod tam de effectu ſuſpenſivo, quam devolutivo intelligendum *cit. leg.* ſicut enim appellatio ſuâ naturâ operatur utrumque effectum, & ſuſpenſionis, & devolutionis uti infr. dicetur, ita etiam prohibitâ appellatione in genere, ejuſdem effectus omnes prohibiti cenſentur, nam contrariorum eadem eſt diſciplina juxta reg. Log.

 quod

quod etiam confirmat *d. l.* 6. quæ abſurde & male, tum appellantem, tum judicem, qui appellationem recipit, gravi ſatis pecuniaria pœna coërceret, ſi appellatio dicto caſu cauſam devolveret.

§. 5. Excipe *ſecundo* cauſam executionis, à qua appellare non licet *l.* 4. *pr.* h. t. *l.* 21. C. eod. *l.* 5. C. quor. app. non rec. quia alias nullus eſſet litium finis, & revera ipſius ſententiæ vis, quæ jam tranſiit in rem judicatam, eluderetur, ac ipſa plane retractaretur, cum tamen, quod una viâ prohibitum, aliâ concedi non debeat: Si vero in exequendo committatur exceſſus, locus ſit appellationi, quoniam quatenus exceditur, non poteſt dici executio ſententiæ, quæ tranſiit in rem judicatam *d. l.* 4. §. 1. h. t. *l.* 5. C. quor. app. non rec.

§. 6. *Tertio*, in criminalibus, â pœnâ, quæ expreſſa lege alicui delicto impoſita eſt *l.* 131. §. 1. de V. S. non appellatur, *l.* 244. d. tit. quia appellatio querelam iniquæ ſententiæ judicis continet, pœnæ autem non ex arbitrio judicantium proficiſcuntur, ſed legum autoritati reſervantur *l.* 1. §. 4. ad SCtum Turpill. unde à pœnâ appellare, nihil foret aliud, quam â lege appellare, quod non licet, arg. *l.* 12. §. 1. qui & â quib. man.: A declaratione tamen ſententiæ, quâ quis dicitur in pœnam legis incidiſſe, jure etiam appellatur, quia non de legis injuſtitia, ſed de jus dicentis facto diſceptatur arg. *d. l.* 244. de V. S. Hinc porro conſtat, à mulctâ, quæ ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit *l.* 131. §. 1. & V. S. provocari poſſe expr. text. *l.* 25. C. h. t. *l.* 2. D. quis à quo appll. Hodie idem obtinet in pœnis, quia arbitrariæ factæ ſunt *l.* 13. de pœn.

§. 7. *Quarto* prohibitum eſt, provocare tertio poſt binam appellationem *l un.* C. ne. lic. in un. cauſ. cum frivole cenſetur appellare, qui tribus conformibus ſententiis eſt condemnatus; pro ſententiâ enim ac judice ſemper eſt præſumptio; dicta vero conſtitutio *l. un.* pertinet tum ad unum idemque capitulum, tum ad unam eandemque partem; ita, ut actori & reo, ſingulis bis, adeoque quater in unâ cauſâ liceat appellare *d. l. un.* quorum potior

erit,

erit, qui poſteriorem ſententiam obtinuit, utpote latam ab eo, qui reliquis omnibus judicibus eſt ſuperior.

§ 8. *Quinto*, non recipitur appellatio à cauſâ deciſa per juramentum judiciale, delatum vel relatum *l.* 12. §. 1. § 3. C. de reb. cred. cum enim per iſtiuſmodi juramentum partibus placuerit, litem, quaſi per tranſactionem, componere, religioni, cui ſemel res commiſſa, omnino ſtari debet. *l.* 1. *l.* 2. *l.* 25. de jurej. *l.* 21. de dol. mal. arg. §. 4. inſt. de except. Hinc conſtat, aliud obtinere cauſâ deciſa per juramentum neceſſarium arg. *l. pen.* §. 3. C. de reb. cred. arg. *l.* 31. D. de jurej. quia Sc: judex etiam partibus non petentibus, nec conſentientibus tale loco probationum, quæ deficiunt, exigit juramentum *d. leg.*

§. 9. Denique privilegiatum eſt debitum liquidum fiſci, & ideo ſine longiori morá, appellatione rejectâ ſolvendum, ne callidis debitorum artibus differatur *l.* 4. *l. fin.* C. quor. app. non. rec. ex quibus textibus ſatis apparet, privilegium hoc competere fiſco certanti de damno vitando, non autem, ſi lucra pœnalia perſequatur, quod plerique. Interpp. docent.

§. 10. Tandem appellatio in ſpecie non ſolet permitti, ſi res dilationem non recipiat, exp. text *l.* 7. de app. rec. hinc non auditur creditor appellans, ne corpus debitoris ſepulturæ tradatur, arg. *l.* 38. de rel. & ſump. fun. quo refertur à DD. cauſa alimentorum ob eorum favorem, arg. *l.* 27. §. 3. de inof. teſt. & *l. ult.* C. de ord. cogn. Verum ex ratione juris potius defendimus contrarium; alias enim nimis magna injuria fieret reo, cum nullum aliud hic ſuperſit & expectetur judicium; Interim tamen alimenta à judice ex bonis decernenda, ſi petens fortaſſis fame laboret, arg. *d. l.* 27. §. 3. de inof. teſt. Plures exceptiones brevitatis ſtudio hic addere ſuperſedeo; curioſus adeat *marant. in ſpec. aur. part.* . *de appellat. n.* 269. *& ſeqq.*

§. 11. Pro coronide hic inquirendum, an, qui appellare prohibentur, vel ob perſonarum qualitatem vel cauſarum conditionem; nihilominus ſupplicationis remedio uti poſſint? Hoc non videtur, nam ubi non poteſt quis appellare ob juris communis

 prohi-

prohibitionem (ſecus ſi ob excellentiam judicis *l.* 5. C. de prec. imp. off. junct *l.* 19. C. h. t. *Cap. ſeq.* §. 2. *in fin.*) minime poteſt ſupplicare, alias enim leges verbis ſolum ſcriptæ eſſent, conſtitutioneſque prohibitivæ eluſoriæ redderentur, ac quod unâ viâ prohibitum, aliâ concederetur, quod eſt contra omnem juris rationem; Habet quoque regula generalis, quod, ubi competit remedium ordinarium, non detur extraordinarium arg. *l.* 16. de minor. Hinc ſi ordinarium certâ ratione lege ſit ſublatum, non debet recurſus concedi ad extraordinarium, *ob prædict.*

CAPUT QUARTUM
à quibus judicibus, & ad quos appelletur:

§. I.

Oſtendimus; quinam & â quâ cauſa, appellare poſſint, ordo nunc poſtulat, ut videamus, à quibus judicibus concedatur provocatio; pro explicatione igitur hujus tenendum, appellari regulariter poſſe ab omnibus judicibus *l.* 35 C. h. t. (non enim facit judici injuriam is, qui ad provocationis auxilium convolat, *l.* 20. C. h. t.) tam ordinariis *l.* 32. §. 5. C. h. t. *l.* 19. *l.* 17. C. d. t. quam delegatis *d. l* 32. §. 4. 5. *tot. tit. D.* quis à quo app. recognoſcentibus ſuperiorem arg. *l.* 1. §. 1. à quib. app. non lic. hinc à principe appellare fas non eſt, cum ſit caput Reip: ſummum, & ultimus, qui provocetur *d.* §. 1. par enim in parem, vel inferior in ſuperiorem non habet imperium, nec poteſtatem citandi, inhibendi &c. quare quidam à principe male informato ad melius informandam provocari poſſe arg. *l.* 1. §. 1. h. t. *l.* 1. C. de Relat. contra rationem juris contendunt; inſubtile enim eſt, ut ita fingamus quaſi aliam perſonam ob qualitatem malæ informationis, quam quivis prætendere poſſet; & utique nulla appellatio ad eundem, ſed omnis neceſſario ad ſuperiorem fieri debet; nec minus abſur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

abſurdum, dicere, inconſulto ſententias proferri à tantis judicibus, cum præſumptio ſemper ſit pro ſententia, ac judicibus, quod merita cauſæ, utpote à viris conſummatæ doctrinæ, exactiſſime excutiantur; ſibi quoque partes imputent, quod non melius informaverint principem, ac in allegatione ſui juris quid prætermiſerint: In ſolutione *dd. ll.* utpote huc non pertinentium, minime moror.

§. 2. Dixi §. 1. *regulariter*, omnis enim regula in jure eſt periculoſa, arg. *l.* 202. de R. J. Excipitur ergo jure Romano Senatus, *l.* 1. §. 2. à quib. app. non lic. quod jus Senatus olim habuit, non autoritate propriâ, ſed beneficio ac conniventiâ quadam principum, qui ſemper in magno habuerunt negotio, obligare ſenatum; illique maximis beneficiis, ac privilegiis demulceri, ut ita ſibi plebis favorem conciliarent, omniaque liberius agerent; teſte Sueton. in vit. *Impp.* Item præfectus prætorio *l.* 1. §. 1. de off. præf. præt. *l.* 17. de min. *l. un.* C. de ſent. præf. *l.* 19. *l.* 35. C. h. t. hic magiſtratus initio ab Auguſto, ejuſque ſucceſſoribus Impp. conſtitutus eſt, ut præeſſet cohortibus aulæ, ſeu militibus, quos in ſui cuſtodiam alebant principes, adeoque id Auguſtis præſtans, quod Regibus tribunus celerum, & in libera Rep. Dictatori magiſter equitum. *l.* 2. §. 15. §. 19. de orig. jur. *l. un. pr.* de off. præf. pr. Verum licet ab initio nullas cauſas tractaret, ſed res tantum bellicas ſive militares curaret, *Guid. Pancirol. in not. imp. orient. c.* 5. Primus tamen M. Antoninus cœpit ſecum præfectos habere, quorum auctoritate ac periculo jura dictabat, ut ait *Capitolin. in M. Anton.* Tandem Commodus imp. ut ipſe deliciis vacaret, Perennio præfecto omnes curas commiſit, *ut autor eſt Lampridius*, atque ita demum judicia & appellationes in præfecturam ſunt tranſlatæ, *Pancirol. d. loc.* cujus auctoritas in tantum procedente tempore meruit augeri, ut appellari ab ipſa non potuerit, ut ſcribit adjectâ eleganti ratione Aurelius Arcadius Chariſius, (qui vixit ſub Philippis impp:) *in d. l. un.* §. 1. *h. t.* Ne tamen gravati omni auxilio excluſi viderentur, per ſupplicationem, quæ & retractatio dicitur in *l.* 35. C. h. t. *N.* 82. *c.* 12.

ſenten-

ſententia illorum reſcindebatur *l. un.* C. de ſent. præf. præt. *l.* 5. C. de prec. imp. off. cap. præc. in fin. quâ quis non de ſententiæ iniquitate conqueritur, ſed proprii erroris ac negligentiæ, petit veniam, arg. *l.* 17. de minor. ſupplicabatur autem non ſolum principi *d. l. un.* ſed & ipſi præfecto *N.* 119. *c.* 5. & vel intra decem dies, vel poſt illos intra biennium, ſed effectu diſpari in d. *N.* 119 *c.* 5.

§. 3. Deinde huc referunt DD. arbitros, quos vocant compromiſſarios *l.* 76. pro ſoc. *l.* 13. §. 2. de arb. à quorum pronuntiato non appellatur, quia vere arbiter ob deficientem jurisdictionem judex non eſt, (à quo tamen tantum appellatur, *ſupr. c.* 1. §. 4.) nec ejus pronuntiatum ſententia, utpote ex quo nec actio, nec exceptio judicati naſcitur, ſed cui metu pænæ ſaltem paretur *l.* 2. de arbitr. *l.* 1. C. eod. *l.* 76. pro ſoc. hinc nec ejus pronuntiatum conſumit ullo modo actionem priſtinam, nec impedit, quominus ea, ſolutâ pœna ſtipulatione promiſſâ, vel alias intereſſe *l.* 1. *l.* 2. C. de rec. arb. *l.* 2. *l.* 27. §. *ult.* ff. d. tit. coram judice ordinario inſtituatur *d. l.* 1. quare nec tunc provocationi erit locus, etiamſi ex ſententiâ arbitri ſecundum novam Juſt. conſtit. in *l.* 5. C. de rec. arb. certo caſu naſcatur actio, ac inſtar judicati talis ſententia executioni mandetur, quia nondum pronuntiat, ut judex, adeoque non eſt, qui adeatur; & ad quem appelletur; porro ratio petenda ab approbatione partis, quæ non contradicendo, paſſa eſt, labi decendium à Juſtin. in d. *l.* 5. præſcriptum; cui ipſa merito ſtare debet, maxime, cum poſt illud decendium ſero appelletur infr. c. 5. §. 2. & ante non ſit actio, nec ſententia, à qua provocaretur *per præd.* (ob eandem primam rationem exiſtimem, non concedi appellationem à ſententia arbitri, quæ moribus aut ſtatuto quorundam locorum comprobatur, ac actionem judicati producit, niſi per illud ſtatutum arbitri in locum judicum expreſſe ſurrogentur, quia tunc ceſſat dicta ratio.)

§. 4. Poteſt tamen pars læſa uti exceptione doli (non reductione ad judicem impune arg. *l.* 27. §. 2. de arbit.) ſi probare poſſit, ſordibus, gratiâ, inimicitiâve ductum arbitrum, iniquam

ſenten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

ſententiam dixiſſe *l.* 32. §. 14. de arbitr. *l.* 3. C. eod. quæ appellandi ſpecies dicitur *d.* §. 14. non quaſi vera ſit appellatio, ſed effectu ſaltem inſpecto, cum exceptionis remedio hoc conſequatur pars, quod alias auxilio appellationis, ut videlicet ſententia non ſortiatur effectum, dolo enim facere creditur, qui petit pœnam ab illo, qui juſtiſſimam cauſam habet, quo minus pareat ſententiæ; eſt vero dicta exceptio non temporalis, ſed dabitur in perpetuum, quæ enim temporalia ſunt ad agendum, perpetua ſunt ad excipiendum *l.* 5. §. *fin.* de dol. mal. except.

§. 5. Cæterum, ne, oblitus brevitatis, noſtra longius digrediatur oratio, breviter ſecundam hujus capitis partem annectam, videndo, ad quem appelletur; ad ſuperiorem Sc; non ad minorem vel parem, cujus ratio perſpicua eſt, quoniam reſciſſio aut reformatio ſententiæ non poteſt contingere, niſi vi poteſtatis majoris *cap. pen.* 10. de maj. & obed. adde §. 1. Et eſt iſta naturalis ratio, ut gravatus confugiat ad ſuperiorem, qui injuriam illatam emendet, quod fruſtra quis petet à pari vel minori, qui nullum jus habet in eum, qui offendit; tunc enim non poſſet hæc res habere exitum, cum inhibitiones, compulſorialia, & alia id genus neceſſaria ab illo decerni nequeant ob defectum imperii, arg. *l.* 3. §. *fin.* *l.* 4. de arb. arg. *l.* 18. de min.

§. 6. Olim igitur in ſtatu Regio appellabantur Reges, arg. *l.* 2. §. 14. de or. jur. uti bene confirmat *Scip. Gent.* 3. *d. Juriſd.* 1. horum tamen permiſſu ad populum fuiſſe provocatum, legimus apud *Livium libr.* 1. poſtea vero exactis regibus ad Conſules putarim provocatum, *d. l.* 2. §. 16. §. 23. ſed mox ad populum rurſus per Leges Valerias tertio repetitas, uti habet idem *Livius libr* 10. earum etiam meminit *Dion. Halic. lib.* 5. & *libr.* 10. c. 1. ſub Impp. conſtat à magiſtratibus ad Auguſtos arg. *d. l.* 2. §. 11. appellatum fuiſſe, utpote ſuperiores, quanquam ſub primis impp. per conniventiam id decus nomini conſulum manſerit, ut dicerentur ſumma poteſtas Reip. *Sueton.* in vit. Impp. *lib.* 4. *cap.* 26. adde *lib.* 1. *cap.* 19. quare & primi illi impp. conſulatum ſemper appetierunt, *cit. Sueton. lib.* 2. *c.* 26. *lib.* 5. *c.* 14. *lib.* 6. *c.* 14.

 §. 7. Potue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

§. 7. Potuerunt quidem hi ſuperiores omiſſis intermediis magiſtratibus, (utpote ſubordinatis ac abſolute ab ipſis dependentibus.) interpoſitam appellationem liberrime recipere, ſicut & quasvis cauſas avocare, non tamen hæc facere ſoliti fuerunt, ſed cauſas ad magiſtratus intermedios remiſerunt, uti apparet ex *l.* 21. h. t. *l.* 29. C. eod. ex hac ratione perſpicuâ, ne multitudine negotiorum obruantur in frequentibus pro Rep: occupationibus arg. *l.* 32. C. h. t. Accedit ratio politica, ne inferiorum judicum autoritas in contemptum abeat.

§. 8. Unde deinceps factum, ut provocatio non procederet, ſi judex intermedius eſſet præterhabitus, *d. l.* 21. h. t. *l.* 4. C. de juriſd omn. jud. quomodo jure civili à magiſtratu municipali aliove judice in provinciis, excepto caſu *l* 23. *C. h. t.* recta appellabatur præſes *l.* 7. *C. h. t.* ab hoc præfectus prætorio *l.* 32. *pr.* §. 1. *C. h. t.* aliud tamen placuit Juſtiniano, in *l.* 37. *l.* 38. *C. h. t.* adde *l.* 19. *eod.* In urbe à prætoribus provocabatur ad præfectum urbi *l.* 17. *C. h. t. l.* 38. de minor. tum ad principem *l.* 32. §. 5. *C. eod. d. l.* 38. Qui magiſtratus, utpote ordinarii, ſæpe mandabant juriſdictionem alteri, vel etiam cauſam examinandam delegabant; non enim confundendi ſunt judices pedanei, qui dati ac delegati vocantur jure civili *l. un. C.* q. pro ſua jur. *t. t. C.* de jud. ped. cum his, quibus juriſdictio mandata; Illi erant ad id publicâ autoritate deputati, ut ex iis prætor, aliuſve magiſtratus legeret, qui de facto cognoſcerent, & ſecundum formulam præſcriptam judicarent, *l. ult.* de off. præf. præt. *d. t. C.* nimirum olim magiſtratus auditis breviter partium intentionibus atque exceptionibus, cognoſcebant, an actio competeret, & cum cognoviſſent, actionem eſſe dandam, diſpiciebant de actionis dandæ qualitate, an ſc. bon. f. an ſtr. jur. eſſet, quâ etiam perſpectâ, ſolebant in pleriſque cauſis judicem dare, & formulam concipere, juxta quam actor ageret, & judex judicaret; Non erant igitur magiſtratus, nec ullam juriſdictionem, nec exequendi poteſtatem habebant hi judices, ſed nudam notionem, quæ tamen & lationem ſententiæ connotat, *l.* 5. *pr. l.* 55. *l.* 28. de re jud. *l.* 74. *l.* 75. de jud.

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

quod officium, cum ipſis fuerit proprium, ideo à judice dato, appellatur is, qui dedit *l.* 1. *pr. l.* 3. quis à quo app. *l.* 32. §. 3. C. h. t. Ab illo vero, cui mandata eſt jurisdictio, non mandans, ſed is, qui à mandante appellaretur, ne, cum mandatarius vice mandatoris fungatur, mandans à ſe ipſo appellari videatur *l.* 1. §. 1. quis à quo app. *l.* 1. §. 1. de off. ej. cui mand. jur. à legato tamen proconſulis, cui etiam mandatur jurisdictio *l.* 4. § *ult.* de off. proc. appellatur ad ipſum proconſulem *l.* 2. quis à quo app. Speciale enim eſt illo in legato, qui minime ſimplex eſt mandatarius, neque meram vicariam operam præſtat, ſed ipſe eſt magiſtratus populi Romani *arg. l.* 10. § 1. *l.* 12. *l.* 13. *l.* 15. de off. proc. uti ex Pomp: Læt: Onuph. & aliis conſtat, hinc nec in liberâ poteſtate erat proconſulis, mandare jurisdictionem legato, ſed ei, utpote quem populus Romanus adjunxerat, mandare neceſſe habebat *l.* 4. § *fin.* d. tit. *l* 10. § 1. eod. Jure vero Canonico ab Archidiacono appellatur episcopus, ab hoc Archiepiscopus, ab hoc Primas, tunc Patriarcha, & tandem Papa, ut refert *Specul. de appell.* 1. §. *nunc tractamus*, *n.* 4. *pr.* Verum illo jure quoque licet, omiſſis mediis protinus ad pontificem appellare c. *ſi. duobus* 7. x. h. t. & c. 54. *eod. c. ex duobus.* 23. x. de priv. & exc. quod interpp. ſolent reſtringere ad territorium eccleſiæ Romanæ, *uti Vultej: de judic lib.* 4. *c.* 2. *n.* 23. obſervat ex *Mynſ.* 1 *obſ. c.* 67. qui pro ratione nimis audacter allegat clericorum avaritiam inſatiabilem, Treutl. hanc reddit, ut nundinationes Romæ eſſent frequentiores, Bachov. cautius dicit, conferre hoc ad lites abbreviandas, ſi ſtatim ſupremus judex adeatur.

§. 9. Reſtat hæc quæſtio, quid juris ſit, ſi quis ex errore alium judicem pro alio appellaverit? Hujus deciſio petenda ex *l.* 1. § 3. h. t. ut, ſi quis parem vel majorem appellaverit, alium tamen pro alio, in eâ cauſâ ſit, ut ei error non noceat, ſi minorem, noceat jung. *l.* 21. §. 1. eod. quod ita inrelligendum, ut *illo* caſu non intercidat appellatio, ſed ad medium ſuperiorem remittenda veniat, ac pro eo habeatur, atque ſi is aditus ſit, qui adiri debuit *d. l.* 1. §. 3. *l.* 21. *l.* 1. *l.* 5. §. 3. de app. rec. *hoc*

caſu ita procedatur, ac ſi provocatum non fuiſſet, decem enim illi dies appellationum interpoſitioni præfixi, *infr.* currunt de momento ad momentum, adeo, ut nulliter, aut non recte inſtitutâ appellatione, hujusmodi error poſtea corrigi non poſſit *dd. text.* uti ex *Bart.* ad d. *l.* 1. §. 3. notat. *Gothofr.*

CAPUT QUINTUM.

De temporibus ſolemnibus, vulgo formalibus, ſeu fatalibus appellationum, ubi quædam, occaſione datâ, adſpergam de officio appellantis ac appellati.

§. 1.

HActenus complexi ſumus perſonas habiles, cauſas, & judices, à quibus appellatio concedatur; Verum tamen hoc ſatis non eſt, ut ea dicatur legitima, ſed formam jure definitam diligenter cuſtodiri oportet, adeo, ut ſi quid in eâ deſideretur, interpoſita appellatio nullius momenti ſit: Coërcita enim eſt appellandi facultas ſuis temporibus, quæ exinde *conſtituta appellatoria* dicuntur *tempora*, in *l* 5. §. *fin.* de app. rec; ut & *fatalia*, forte ideo, quod, niſi ea ſecundum præſcriptum juris obſerventur, appellatio, quaſi quodam ſuo fato intercidat, ac pereat, quod fit ultimo temporis conſtituti die elapſo, qui ex eo dicitur *dies temporalis l.* 32. §. 4. C. h. t. *l.* 2. C. de temp. appell. Recenſentur vulgo tria tempora, ſeu fatalia, unum interponendæ, alterum introducendæ, & tertium proſequendæ appellationis.

§. 2. Tempus primum eſt illud, intra quod appellari debet, ne ſententia in rem judicatam tranſiiſſe dicatur *l. ult.* C. de ſent, quæ ſin. cert. quant. *l.* 3. C. qu. & quand. jud: Id ante Juſtinianum in cauſâ propriâ fuit biduum *l.* 20. §. 1. h. t. *l.* 6. §. 5. C. eod. in cauſâ alienâ triduum, *d. l.* 6. §. 5. *l.* 1. §. 5. quand. app. quæ

autem

autem cauſa intelligatur eſſe propria, quæ aliena, explicatur in *l.* 1. §. 11. 12. 13. *l.* 2. *pr.* §. 1. quand. app. *l.* 3. de app. rec. Hoc tempus Juſtinianus immutavit, voluitque, ut indiſtincte in omni appellatione eſſet decem dierum *N.* 23. *auth. hodie* C. h. t. adeo, ut ne militibus quidem, licet multis privilegiis ſubnixis remittatur *l.* 20. §. *fin.* h. t. *l.* 29. C. eod. nec etiam pauperibus, interponi enim ſine ſumptibus appellatio poteſt; hinc, ſi adhibitis ſumptibus, quibus pauper non ſufficeret, appellatio ſit introducenda vel proſequenda, aliud dicendum *l.* 8. §. 8. mand. modo intra tempus præſcriptum paupertas judici allegetur.

§. 3. Incipit hoc tempus currere à die ſcientiæ, ſive ipſius domini, ſive procuratoris *l.* 1. §. *fin.* quand. app. *l.* 3. C. quom. & quand. jud. *l.* 4. C. de lib. cauſ. ac computatur â momento ad momentum, & ab ipſâ horâ, quâ læſus reſcivit, ſententiam latam, usque ad eandem horam diei decimæ *N.* 23. *pr. c.* 1. ut etiam feriæ includantur, poteſt enim appellatio die feriato interponi, cum ſit voluntariæ jurisdictionis, *l.* 1. C. de fer. modo læſus judicis adeundi facultatem habuerit, (ſeu judex in publico ſui copiam fecerit, uti explicatur in *l.* 1. § 9. quand: app:) alias is dies ſervabitur, quo primo adeundi facultas erit *d. l.* 1. § 7. Impedito enim ſine ſuâ culpâ, lapſus horum dierum, qui ad aliquid utiles *d.* §. 7. dicuntur, non obſtat, arg. *l. fin.* §. 4. de temp. app.

§. 4. Porro ad formam interponendæ appellationis ſpectat, ut fiat coram judicè, à quo provocatur *l.* 1. §. 7. quand. app. ſi vero hujus adeundi facultas in publico non fuerit, coram eo judice, ad quem appellatur *d. l.* 1. §. 10. Ita enim erat comparatum, ut coram alterutro judice appellaretur *d.* §. 10. verbis, *hoc jure utimur, ut ſi alterutrius adeundi fuit copia, præſcriptio locum habeat l.* 5. de app. rec. & ſi per violentiam id non liceret, publice appellatio proponeretur *l.* 7. h. t. *l. fin.* C. de his, q. per. met. jud. *cap. fin.* de app. unde forte nata eſt hodierna praxis quorundam locorum, appellandi coram notario, ac teſtibus, omni etiam, extra violentiæ caſum, quâ de re multa eleganter deducit *Tenn. caut.* 7. & 8.

§. 5. Inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

§. 5. Interponitur vero appellatio, DD. in *l.* 12. §. 2. C. de reb. cred. vel in judicio apud acta, & quidem vivâ voce, vel in ſcriptis *l.* 2. *l* 5. *in fin.* h. t. *l.* 14 C. eod. ſtatim, vel ex intervallo, modo intra decem dies arg. *d. l.* 2. h. t. vel non inter acta dato libello appellatorio *l.* 5. *in fin.* h. t. *l.* 1. §. *fin.* eod. qui ita eſt concipiendus, ut habeat ſcriptum, qui appellet, adverſus quem, & à quâ ſententia *d. l.* 1. §. *fin.* h. t. adde latius de forma iſtius libelli tot. *l.* 3. h. t. nullibi vero neceſſe eſt, ut exprimantur cauſæ appellationis, ſed ſufficit, dicere, ſe gravatum, aut ſententiam injuſtam arg. *l.* 2. *l.* 5. h. t.

§. 6. Interpoſitæ ita appellationi judex ſtatim deferre (alias utendum axilio *l.* 5. *pr.* §. 1. §. 5. de app. rec. junct. *l.* 6. §. 3. *l.* 19 C. h. t.) ac parti libellum dimiſſorium dare tenetur ſub comminatione pœnæ, neglectâ veterum cautela, *l* 6. §. *fin. l.* 24. C. h. t. qui dicitur àlio nomine Apoſtoli, ſeu literæ dimiſſoriæ, ac mittitur ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt, ut ita ordo ſit ab uno judicio ad aliud, utrumque connectatur *l. un. pr.* de lib. dimiſſ. *l.* 106. de V. S. ſenſus ejus eſt in *d. l. un.* §. 1. ſi tamen judex in officio faciendo ceſſet, partem ipſam apoſtolos inſtanter, ac ſæpius petere oportebit, ne appellatio habeatur pro deſerta, *d. l. un.* §. 2. quoniam nihil ad partem, quod judex officium ſuum non fecit, neque hoc ſufficere poterit ad excuſandum appellantem, in cujus poteſtate fuit, petere apoſtolos juxta *d.* §. 2. ſin vero nec ita accipiat petens, deſuper conteſtationem interponat, & ei non nocebit, à judice fuiſſe negatos *d. l. un. in fin.* habebuntur enim pro conceſſis, ut recte adeo apud ſuperiorem appellatio introduci poſſit, DD. commun. in *d. l. un. ac l.* 31. *C. h. t.*

§. 7. Dandi ſunt ac petendi apoſtoli intra triginta dies *l.* 24. C. h. t. alias ſententia, ut maxime ab eâ intra dies decem eſſet appellatum, in rem judicatam tranſit, appellatione ob non petitos apoſtolos deſertâ arg. *l un.* §. 2. de lib. dim. arg. *l. ult.* C. de ſent. q. ſin. cert. quant. *l.* 3 C. quon. & quand. jud. Incipiunt triginta iſti dies currere, tam judici, quam appellanti, à tem-

pore,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

pore, quo victus ſcit, latam ſententiam arg. *d. l.* 24. C. h. t. rationis enim eſt, ut hoc tempus quod ad curſum uniforme ſit in perſona utriuſque Salic. in *l.* 6. §. *ult.* C. *h.* t. ac, quod à tempore interpoſitæ appellationis ſupereſt uſque ad triginta dies, judici ad edendos Apoſtolos ſufficere poteſt.

§. 8. Secundum tempus eſt introducendæ appellationis, apud judicem ſuperiorem *th.* 1. *ſupr.* Huic rei triginta dies, vel ſex menſes pro locorum intervallo præfinitum, refert *Gloſſ.* in *l.* 5. C. h. t. ſed jam olim veteres nullum jure civili fatale definitum eſſe, ad *d. l.* probaverunt, ubi Saliceti ratio, (quod lex, quæ ignorabat diſtantiam loci, ad quem appellaturus quis eſſet, non potuerit certum præſcribere terminum) non ſatis videtur concludere, quia, ut alibi, ita & hic in numerum certum milliarium totidem dies & aliquid amplius deſignari potuiſſet arg. §. 16. inſt. de exc. tut. junct *l.* 13. §. 1. ff. eod. quare forte hæc tenenda, quod leges hoc relinquere voluerint officio judicis, qui dat Apoſtolos, ut hic ſimul pro varietate judicum ac locorum definiat ſpatium, intra quod judici ſuperiori exhiberentur; Hoc ſi labi quis patiatur, appellatio pro deſertâ habetur, ac ſententia in rem judicatam tranſit *l.* 8. *C.* h. t. rationis enim eſt, ut hujus temporis eadem, quæ aliorum fatalium, ſit ratio §. 2. *ſupr.*

§ 9. Rite autem introducitur appellatio interpoſita, exhibitis Apoſtolis ſuperiori, per ſupplicationem pro citatione, inhibitione, & compulſorialibus: *Citatio* eo pertinet, ut appellatus veniat ad judicem appellationis, auditum, quid appellans conqueratur: *Conpulſorialia* ſunt mandata, à judice ad quem miſſa judici à quo; (liceat ita loqui.) ut prioris inſtantiæ acta edat certo tempore ad hoc faciendum præfixo, idque ſub pœna, arg. *l.* 2. C. de edend. *ibique DD. Inhibitiones* quoque ſunt mandata, quibus judici, à quo appellatum eſt, potiſſimum inhibetur, ut omni ulteriori proceſſu ſuperſedeat, appellatio enim ordinario operatur effectum devolutivum ac ſuſpenſivum, uti DD. loquuntur. ſeq. cap.

§. 10. Hæc hactenus de interponendâ ac introducenda appellatione ſuffecerint, reliquum eſt, ut progrediamur ad tem-

pora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

pora proſequendæ, quæ ex juſtiniani conſtitutione, (de jure veteri vide *l.* 2. C. de temp. app.) intra annum, vel ex juſta cauſa, à petente allegandâ ac probandâ, biennium eſt exercenda *auth. ei qui* C. de temp. app. *N.* 49. in pr. *l.* 5. § 4. C. de temp. app. niſi eam appellans pro deſertâ haberi velit, *d. N. in. præf.* & §. 1. *d. auth.* junct *l.* 8. *l.* 18. C. h. t. juſto igitur impedimento non allegato, ſtatim lapſo anno, ſententia, appellatione deſertâ, executioni mandatur per text. in *l. ult.* §. 4. C. de temp. app. ex quo oſtenditur, quod tempus proſequendi appellationem ſimpliciter non ſit biennale, ſed tantum annale, addi autem alterum annum, ſi appellans vel *culpam judicis*, *vel aliam inexorabilem cauſam poſſit probare*, ſunt verba *d.* § 4. Computatur dictum tempus, ex quo appellatio interpoſita eſt, *l.* 2. *l.* 3. C. de temp. app. ideoque vult conſtitutio *d. l.* 3. ut geſta & acta primæ inſtantiæ mature edantur judici ſuperiori, ut idoneum tempus decidendæ cauſæ habere poſſit: Rationis quidem videri poſſet ob irreparabile damnum, ac tempus appellationis introducendæ arbitrarium, ut curreret ab eo die, quo appellatio introducta apoſtolis exhibitis; verum textui expr. *d. l.* 2. & 3. inhærendum arg. *l.* 12. §. 1. qu. & à quib. man.

§. 11. Proceditur autem in appellationis inſtantiâ eodem modo, quo in priori; eidem hic incumbit onus probandi, qui & in primâ lite probare debuit, niſi vitium in ordine judicii commiſſum, allegetur, quod per allegantem probandum foret arg. *l.* 2. de probat. *l.* 23, C. eod. denuo cauſa agitur, tam ab appellato, quam appellante, *l* 4. C. de temp. app. (quoniam appellatio communis eſt utrique parti, *l.* 39. C. h. t.) ita tamen, ut litis conteſtatio non ſit neceſſaria, ſed cauſa ſtatim reducatur ad tempus litis conteſtatæ *l.* 13. ibique DD. comm. C. de procur *N.* 49. *c.* 1. *l. fin.* §. 4. C. de temp. app. quare exceptiones dilatoriæ in primo judicio omiſſæ, in hoc non recipiuntur *l.* 13. C. de proc. recte vero peremptoriæ *l.* 25. de adm. & per. tut. Deinde quæ in priori inſtantia prætermiſſa; in hac proponuntur, *l.* 3. *l. fin.* h. t. *l.* 6. §. 1. *l.* 39. §. 1. C eod. hinc novis probationibus dependentibus à deductis

in pri-

in primo judicio, *l.* 4. C. de temp. app. *l.* 37. C. h. t. *dd. ll.* noviſque articulis facientibus ad cauſam apud anteriorem judicem propoſitam uti licebit, ac ſuper iis alios teſtes producere *l.* 6. §. 1. §. 2. *l.* 39. §. 1. *C. h. t. dd. text.*

§. 12. De iiſdem autem articulis in priori judicio propoſitis, an novi teſtes ſint recipiendi, inſignis eſt inter DD. altercatio; ut, quibus aſſentiendum, non facile ſit conſtituere: Affirmativæ ſententiæ fundamentum eſt in *l.* 4. verb. *novis etiam* C. de temp. app. junct. *l.* 6. §. 1. 2. C. h. t. cum & alias, quotieſcunque mutatur inſtantia vel judex, ſuper iiſdem articulis novorum teſtium productio admittitur *l. fin.* C. de teſt. *cap.* 38. *cap.* 50. *extr.* de teſt. quæ & æquitate ſubnixa videtur; quid enim, ſi producens, de teſtibus confidens, exiſtimaverit, ex eorum depoſitione cauſam ſuam defendi poſſe, ac ideo plures non produxerit, deinde ſuccumbens videat, teſtes aliâ ratione apud judicem depoſuiſſe, quam aſſeruerint? Quid ſi producantur teſtes tam honeſtæ ac inculpatæ vitæ, ut neque lucri, neque gratiæ, neque amicitiæ cauſa in teſtes producti eſſe videantur? denique quid ſi in cauſa appellationis producantur teſtes, de quibus non conſtiterit per abſentiam, vel ob conditionem eorum produci non potuerint in prima inſtantia? quo facit apprime textus elegans in *l.* 10. §. 3. de edend. Accedit, probationum facultatem non coanguſtandam, ſed eſſe ampliandam, ut veritas magis eluceat, *l.* 21. C. de hæret. *l* 12. C. de reb. cred. Solum ſubornationis periculum, quo maxime ſuſtinetur contraria opinio, non movet, nam mutatio judicii ac judicis aliud imperat *d. l. fin.* C. de teſt. judex enim ſuperior pro ingenii ſui luce facile æſtimabit, cujus dignitatis, ac exiſtimationis noviter producti teſtes ſint *l.* 3. *pr.* §. 1. 2. de teſt. *l.* 21. §. *ult.* eod. nec modo, qui dicant pro teſtimonio, ſed & quibus verbis utantur, elaborabit, uti ait *Cicer. pro* Fontio; *d. l.* 3. §. 2.

§. 13. Nondum me huic capiti finem imponere ſinunt ſequentes quæſtiones ex prioribus fluentes; nimirum, an tempora appellationum à legibus præſcripta à judice vel partium conſenſu arctari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

vel prorogari poſſint ? Certe non continetur hoc judicis officio, ac poteſtate, ut terminum à lege præſcriptum poſſit mutare, cum prætoris factum juri derogare non oporteat arg. *l.* 1. §. 1. de fer. *l.* 4. §. 5. de re jud. nec jus alteri quæſitum per injuriam judicis auferri: Facit *l.* 3. C. de temp. app. ubi appellationum tempora nec reſcripto quidem principis prorogantur, multo minus per judicem: De conſenſu partium idem ſtatuunt plerique interpretes; alii diſtinguunt inter tempus interponendæ ac proſequendæ appellationis, ut hoc prorogari poſſit, non illud: In hoc DD. conflictu cum aliis potius juri congruere, putem, ſententiam exiſtimantium, dicta tempora partium conſenſu arctari ac produci poſſe; per text. *l. ult.* §. *ult.* C. de temp. app. ubi dicitur, inter partes conveniri poſſe, ne ullum fatale obſervetur, quod non, niſi abſurde de unâ tantum ſpecie fatalium, nimirum proſequendæ (nullum enim jure civili definitum fatale introducendæ.) explicabitur, maxime, quia in eodem §. *ult.* prorſus renuntiari poſſe, dicitur, *interpoſitioni* appellationis, hinc etiam, quod mox additur de non obſervandis fatalibus ad iſtam ſpeciem fatalium pertinere videtur; nec *d.* §. *fin.* tantum ad arctationem pertinet, ſed etiam ad prorogationem, quia Imp. ait, *ſe velle moderari rigorem juris*; atquin rigor eſt in præciſo obſervando tempore; nec in arctando, ſed in prorogando mitigatio conſiderari poteſt: Accedit hic in ſecunda inſtantia irreparabile damnum, & quod hæc tempora conſtituta ſint favore quodam ejus, contra quem appellatum, (pro ſententia enim priori præſumitur,) qui libere favori pro ſe introducto renuntiare poteſt arg. *l.* 29. C. de pact. Facit huc quoque *auth. ſi tamen* C. de temp. app. *N.* 93. *c.* 1. ubi compromiſſo tempus appellationis ſuſpenditur, ac prorogatur, totum enim illud ſpatium, quo coram arbitris cauſa tractata fuit, eximitur & non computatur *d. auth.* & ſi conſenſus tacitus hoc efficere poſſit, quid ni & expreſſus? Saltem hinc concludi poſſe videtur, iſta tempora principaliter non reſpicere publicam utilitatem, tunc enim nec deberent per compromiſſum prorogari, quia partes millies compromittendo poſſent lites facere immortales,

& ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

& ita offendere publicam utilitatem: Ne tamen ſuo conſenſu partes pro libidine differant rem, ac fatalia ſalubriter introducta quaſi eludant, generalitas d. *l. ult.* §. *ult.* ita erit temperanda, ut pactio vaga hic non admittatur, ſed ſi illi certus quidam terminus adjiciatur, & vel ante ſententiam, vel labente adhuc fatali interponatur; etenim, ubi ſententia tranſiit in rem judicatam, fruſtra fit prorogatio, nam quod non eſt, prorogari nequit arg. *l.* 5. de precar. ut notat *Salic. in d. auth. ſi tamen* C. de temp. app. & in *d. l. ult.* eod. eſtque in eam rem textus in Clem. penult. de appellat.

§. 14. Porro quæſtionis eſt, an lapſis fatalibus contra ea juſtâ de cauſa detur reſtitutio in integrum? Ita æquitate ſuadente videtur, tum ob abſentiam, tum ob aliam juſtam cauſam, quæ veniam ac excuſationem meretur ex generali clauſulâ *l.* 1. §. 1. ex quib. cauſ. maj. verbis *ſi qua alia mihi juſta cauſa videbitur, reſtituam*; quilibet enim, qui ob impedimentum, quod non poterat avertere, damnum paſſus eſt, debet reſtitui *l.* 26. §. 9. *l.* 16. d. tit. conceditur enim hæc reſtitutio tam in judicio, quam extra judicium læſis *l.* 26. §. 4. §. 7. *l.* 18. *l.* 23. §. *ult. l.* 24. ex quib. cauſ. maj. Sunt etiam in hanc rem textus ſpeciales, arg. *l. fin.* §. 4. *in fin.* C. de temp. app. *l.* 7. §. *ult.* de minor. *l. ult.* de in int. reſt. Ut vero petens illam adverſus lapſa fatalia, excuſatione ac veniâ dignus ſit, juſtum impedimentum probare tenebitur, *l.* 2. de prob. hoc enim facti eſt, quod non præſumitur arg. *l.* 14. de Re milit. optime hoc confirmat *d l. fin* § 4. C. de temp. app. ubi ſecundus annus proſequendi appellationem ex cauſâ à lege datus non conceditur, niſi appellator *inexorabilem cauſam evidenter probaverit*; multo minus hic aliter conceditur reſtitutio, utpote remedium extraordinarium, quod facile non impetratur: ſed ſola impedimenti probatio adhuc non ſufficiet, niſi ſimul probetur, quod remoto illo impedimento non fuiſſet in morâ, nim: quod ſe nimium non arctaverit, ſed debitam diligentiam adhibuerit, uti late explicatur in *l.* 2. §. 6. *&* 8. ſi quis caut. junct. *l.* 14. de re mil.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

§. 15. Supereſt tandem, ut videamus, an appellatione interpoſitâ, & fatalibus non obſervatis, de nullitate agi poſſit? Certum quidem eſt de jure civili, quod ſuperſit nullitatis remedium appellatione omiſſâ, quoniam in caſu nullitatis non eſt neceſſe provocare, ſed cauſa nihilominus ex integro agi poteſt, arg. *rubr.* quæ ſent. ſin. app. *l.* 1. §. 1. 2. d. tit. *l.* 4. *l.* 5. *l.* 7. C. quand. prov. non eſt nec. *l.* 6. C. eod. ſiquidem ſententia jure nulla non poteſt tranſire in rem judicatam *l.* 1. *l.* 2. *l.* 4. C. eod. *l.* 4. §. 6. *l.* 56. de Re jud. ſed ſi appellatio interpoſita fuerit, magis controverſum videtur; procliviores tamen ſumus in hanc opinionem, etiam hoc caſu nullitatis remedium ſupereſſe, quoniam non cenſetur quiſquam elegiſſe beneficium provocationis, ut ſibi noceat, neque æquum eſt, ut propter appellationem conditio ejus fiat deterior; quin potius præſumitur appellaſſe, ut facultatem alterutro beneficio pro libitu utendi haberet, & ſi nullitatem non poſſet, probaret ſaltem iniquitatem; ac rurſus deſeruiſſe appellationem, quia ſciret, ſibi integram eſſe facultatem agendi ſuper nullitate, maxime cum ſeparata cauſa ſit nullitatis, à judicio appellationis, & diverſa remedia *arg. l.* 14. C. de inoff. teſt. ideoque jure civili etiam ſeorſim tractari ac proponi poſſint: Probatur optime hæc ſententia *l.* 19. C. h. t. *l.* 2. C. quand. prov. non eſt nec. Quando ſententia dicatur nulla, vide *tot. tit.* quæ ſent. ſin. app. reſc. quomodo vero nullitas ſit proponenda, coram quo judice, & intra quod tempus, & an ſuſpendat executionem, late ſatis diſquirunt Interpp. plerique; ideoque illa, utpote huc proprie non pertinentia, explicare superſedeo, ne nimium extra propoſitum diſſertatio noſtra excurrat.

CAPUT SEXTUM.

De effectu appellationis.

§. 1.

EXcuſſis temporibus ac ſolennitatibus appellationis, convenienter effectus ejusdem, ne perperam quis appellaſſe videatur,

atur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

atur, ſubjiciendi ſunt, ubi latiſſimus ſe campus aperit, quem nunc brevitatis ſtudio ambire magis integrum fuerit, quam emetiri.

§. 2. Præcipuus itaque appellationis non deſertæ *l. fin.* §. 4. verbis, *tanquam ab initio minime fuerit provocatum* C. de temp. app. *l.* 8. *l.* 18. C. h. t. effectus ſit, devolvi cauſam ad ſuperiorem *l.* 12. §. 2. *C. de reb. cred. l.* 32. *pr.* §. 1. *l.* 37. C. h. t. ac ſuſpendi prioris ſententiæ executionem, *l.* 32. C. de tranſ. junct. *l. un.* C. de in int. reſt. *l.* 32. §. 3. C. h. t. appellans enim à jurisdictione judicis inferioris ſtatim per appellationem eximitur, *arg. l.* 1. §. *ult.* ad SCtum Turpill. *l. un.* nih. inn. app. pend. adeo ut plane extinguatur ejus pronuntiatum, ac nullum operetur effectum *d. l.* 1. §. *ult.* junct. *l.* 6. §. 1. *in fin.* verbis, *hodie notari puto, non retro* de his, qui not. inf. *l.* 15. §. 6. qui ſat. cog. *l.* 2. §. 2. de pæn. quia ſententia demum appellatione non interpoſitâ, vigorem rei judicatæ habere dicitur *arg. l.* 5. C. de Re jud. *l.* 8. de exc. rei jud. *l.* 3. C. h. t. *l.* 1. §. 3. *in fin.* nih. inn. app. pend. *l.* 32. C. de tranſ.

§. 3. Unde etiam eſt, quod interpoſitâ appellatione nihil ſit innovandum, ſed integra omnia ſervanda in eum diem, quo pronuntiatum fuerit, *l. un:* nih: inn: app: pend: *l.* 3. C. h. t. *l.* 6. de app. rec. ſi igitur attentatum, innovatumque quid fuerit, ſuper attentatis imploratur judex, ad quem appellatum, ut illa in priſtinum ſtatum reſtituantur *arg: dd. ll.* quilibet enim judex defendere poteſt jurisdictionem ſuam pænali judicio *l. un.* ſi quis jus dic. non obt. Quam vero juſtum ſit, ac æquum attentatorum hoc remedium, neminem latet, & ex eo maxime deprehendi poteſt, quod per illud non ſolum magiſtratuum, & jus dicentium dignitas, ac jurisdictio contra contemptores illæſa conſervetur, verum etiam unicuique litigantium gravato, pleniſſime ſuccurratur, & tam judicum, quam partium, tramites juris excedentium, temeritas certis pœnis coërceatur: Quomodo vero procedatur, hic brevitatis cauſa omitto, late ſatis ea perſequitur *Lancelot: tract. de attentat.*

§. 4. De-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

§. 4. Devolvitur ita cauſa ad judicem ſuperiorem, maxime quod ad cognitionem, qui hac factâ ſolet ſuâ ſententiâ appellationem juſtam vel injuſtam pronuntiare *l.* 39. de min. *l.* 57. §. 1. *l.* 20. de adm. tut. *l.* 97. de leg. 3. *l.* 11. §. 3. ad L. Falcid. *l.* 24. h. t. ſi vero prior ſententia partim juſta, partim injuſta eſſet, partim confirmare, partim corrigere *l.* 41. fam. erc. Profert vero ſententiam ſecundum leges ac edicta, quæ tempore prioris ſententiæ habuerunt vigorem *N.* 115 *pr. c.* 1. eamque ipſe executioni mandat, ſive confirmet priorem ſententiam, ſive infirmet, cum idem jus ſemper ſit judicis ſuperioris, ac per appellationem tota cauſa ad eum devolvatur, ut jam amplius non ſit judicis inferioris, à cujus jurisdictione appellans exemptus, ſe iſti negotio immiſcere *ll. cit.* §. 2. ſupr. quod etiam non obſcure probatur per *l.* 6. §. 1. de his qui not. inf. *l.* 40. §. 1. de pact. Facit apprime *auth. ſi quis litigantium* C. de epiſc. aud. *l.* 32. §. 2. *in fin.* C. h. t. executio vero appellationis deſertæ pertinet ad judicem, à quo appellatum; cum enim deſertâ appellatione fingatur appellatum non eſſe, ac prior ſententia in ſuo robore duret, uti ait text. *in l. fin.* §. 4. C. *de temp. app.* merito ſuam validam ſententiam mandabit executioni inferior *d.* §. 4. *l.* 8. C. h. t. & quidem ſtatim poſt deſertionem *l.* 18. C. h. t. hinc ſententia prioris judicis dicitur *ſuſpendi* in *l.* 32. §. 3. C. h. t. *l.* 32. C. de tranſact.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

TER EEREN
Van de
HEER CANDIDAET
J: H: KEISER,

't IS KEISER, die het recht des Keiſers diſputeert,
't IS KEISER, die in't recht des Keiſers triumpheert:
Want hy het Keiſer-recht, en't Keiſerlijck bevel,
Seer Keiſerlijck bepleit door't Keiſerlijck APPEL:
Ja toont, hoe dat een Ziel, gepranght door d' onder
macht,
Herſtellinge bekoomt door 's Keiſers opper kracht.
Dies oock naer dees triumph voor KEISER open ſtaet
Een dubbeld' eeren poort, welck is, den Doctoraet.

Raptiſſime in certum amicitiæ
teſtimonium appoſuit
J. B. J. U. D.

EIDEM.

QUis rumor potuit Muſam ſtimulare quietam;
Cæſaris ut magni ſcribere dicta velim.
Neſcio, quæ mihi mens fuit, aut flagrantia movit;
Vel meus ardor erat, vel fuit ejus amor?
Forſitan ejus amor, quoniam mihi defuit ardor,
Cum mea vix carmen pangere Muſa ſinit.
Non tamen hoc potui, quæſtus, negitare nepoti,
Cernet amicitiæ candida ſigna meæ:
Mos erat antiquis ſcandenti pulpita carmen
Scribere, cum victor præmia digna capit.

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

Sic tibi vincenti titulos mea carmina tollent;
  Cumque appellandi dixeris ipſe modos:
A quo ſuſcipitur, poſt hinc, ad quem appellatio tranſit,
  Et quando judex jus ſine lite negat.
A quo, ſi quærunt qua re appellatio, judex
  Dic tibi ſuſpectus vel peregrinus erat.
Ad quem, dic eadem, quia cauſæ pondera poſcunt
  Illum, qui ſummum jure tribunal habet:
Temporis aut ſpacii ſi diſſertatio ſurgit,
  Dic, bis quinque dies quilibet actor habet.
Quas Carolus leges ſtatuit, quæ jura Quirites,
  Quaſque Solon ſcripſit, quaſque Lycurgus, ais.
Crimina quis judex, ſi ſint capitalia, plectit,
  Quæque poteſt fiſcus jure tenere bona.
Mitius inferior judex maleficia punit;
  Excutit hic, donec ſacculus ære caret:
Curia quas dirimit lites, quæ jura legati,
  Voce Senatus agit lance cuique pari:
Clericus abſolvit ſacra, ſed feudalia jura
  Cum paribus dominus terminat ipſe ſuis.
Quæ plures reſtant, finit nuda notio lites;
  Sicque doces paucis ſingula jura fori.
Judicis officium quid erat, vel quanta poteſtas;
  Imperium mixtum vel gerit ille merum.
Appellare poteſt, fera quem ſententia damnat;
  Gratia ne parti judicis ulla gravet:
Uti vindiciis, nitide ſcis quemque docere,
  Ut ſubito appellet, quando gravamen habet:
Hoc opus antiquum; Cæſar ſuſtentat honorem,
  Gloria, quæ famæ Cæſaris apta fuit.
Sic non denegeras, generis generoſa propago,
  Cumque tuo patri congruus eſſe potes.

In ſymbolum amicitiæ

Scripſit H. T. J. U. D.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 229